



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

De Cælo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

DE CÆLO

CONTROVERSIA VNICA.



PHILOSOPHI est eorum, quæ experientia nouit, causas, & effectus inquirere, earumque rerum essentias, passiones, proprietatesque perscrutari, propriam constitutum rationem cuiusvis prædicati eruere, definireque, quæ prædicata inter se repugnantiam habeant; quæve amico fœdere in eandem entitatem possint confluere, ex quo principio huius rei possibilitatem illiusque repugnantiam deducit. De illis verò quæ ad quæstionem de facto pertinent, quorum existentia eiusdemque negatio æquè componi possunt cum omnibus, quæ hucusque experti sumus, Philosophus nihil curat, definienda enim sunt, ex antiquorum traditione, ex communi hominum, præcipuè litteratorum consensu, ex fide dignis, etsi profanis historiis. Quod si in sacris libris aliquod fundamentum reperiamus, ex quo proposita quæstio possit decidi, hoc erit potissima, vnicaque decidendi ratio. Huiusmodi sunt plures quæstiones, quæ in hac materia occurrunt, quarum pleræque ex sacris litteris definiendæ sunt, quas diuinæ scripturæ interpretibus intactas relinquam, sunt etiam aliæ plurimæ, quæ tantum attinent ad quæstionem de facto, & apud sacrum textum nullum illarum hucusque fundamentum repertum est, quæ non nisi ex Patrum & Doctorum sententiis possunt definiri, quas attingam breuiter; illas verò, quæ ex ipsis rerum naturis possunt definiri latius pertractabo.

PUNCTVM PRIMVM.

An cali sint animati, & à quo moueantur.

1. **S**icælis animam præcipuè sensitiuam impertiremur, statim consequenter diceretur, eos posse à se moueri si cuti reliqua animantia sensitiua propriâ virtute locali motu exercentur.
2. Sententiam fuisse Philosophi lib. 2. de cælo, text. 13. & 61. lib. 2. Metaphysic. text. 35. cælos esse animatos, fert communis sententia, sic illum interpretantur S. Th. lib. contra Gentiles cap. 50. & in disputatis, quæst. de anima, art. 8. ad 3. & P. Vasquez 1. part. quæst. 183. licet idem S. Thom. 1. part. quæst. 70. art. 3. & alij cum ipso Aristotelem benignè interpretentur de intelligentia non informante, sed assistente. Quidquid sit de mente Aristotelis, sententiam hanc cum suis defendebat Plato, cui consensere Hebræi, & ut nonnulli volunt etiam Ægyptij, & aliæ barbaræ nationes. Conspirauere etiam in hunc philosophicum errorem Christiani nonnulli, & fœdius omnibus Origenes tom. 1. comment. in Ioannem, & lib. 1. Periarcho, ubi non solum contra bonam philosophiam stellas animatas, sed etiam contra fidem Catholicam, eas virtutes & vitij capaces esse docuit, Christumque proinde non solum pro peccatis hominum, sed etiam astrorum, mortem esse perpeffum.
3. Ceterum cælos siue astra animis non potiri statuit cõmunis Patrum, & Scholasticorum consensus. Sic tradunt Basilii in exameron homil. 3. Ambrosii lib. 2. cap. 4. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, Chrysostomus homil. in Ps. 4. & Damascenus lib. 2. de fide orthod. cap. 6. his verbis: Nullus cælos aut sidera animata esse existimet: animâ quippe ac sensu carent. His & aliis Patribus subscribunt omnes Scripturæ interpretes, & Doctores Scholastici, à quibus non sine ingenti temeritate, quisquam recedet.
4. In primis relegendus est Origenis error quem damnavit Synodus Constantinopolitana secunda; quæ quinta generalis dicit solet. Synodi verba refert Nicephorus lib. 17. cap. 28. Si quis dicat cælum & Solem, & Lunam, & stellas & aquas quæ supra cælum sunt animales quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit. Legunt alij: Si quis dicat cælum & lunam, & stellas animantes quasdam esse, & animales virtutes, anathema a sit. Theologica ratio errorem hunc euerit, si

enim cæli rationis essent capaces, aut essent in gratia, aut in peccato: si in gratia tandem aliquando simul cum aliis beatis diuinâ potirentur essentia; si in peccato aliquando æternis addicerentur suppliciis, quæ omnia chimærica sunt, alienaque à mente hominum.

Denique cælos, & astra omnis animæ expertia esse conuincunt plures Philosophicæ rationes. Primam peto, ex ipsorum vastissima magnitudine, quæ non rectè componitur cum viuientium formis, quæ partium approximationem exigunt, ut vicissim foueri possint, & hac in aliam influere. Secundam depromo ex ipsorum partibus, quas homogeneas esse cernimus nulla deorganizatione elaboratas, deorganizatio autem necessariò est requisita in viuientium formis ad suarum operationum functiones. Sit tertia ratio nullum reperiri rationis vestigium suadens hæc corpora vitâ aliquâ vegetatiuâ, sensitiuâ, aut rationali gaudere, quod sic probo. Si aliquod fundamentum vitæ in his corporibus posset reperiri esset motus localis, hic autem certum est non arguere rationalem animam, siquidè brutis rationis expertis conuenit, non autem hanc inferre constabit ex infra dicendis, ubi probabo cælos non moueri à se, deinde etiam si à se mouerentur, non ex eo virtute vitali essent donandi, quia virtus loco motiua vitalis non est, neque motus progressius adhuc in viuientibus per se formaliter est actio vitalis. Neque Philosophi vitam aliquam cognouerunt præter vegetatiuam, quæ non differt formaliter à principio se augendi per intus sumptionem: & sensitiuam, quæ in principio sensationes eliciendi consistit; & rationalem, quæ dicit formaliter intelligendi principium, ac proinde omne illud, cui non conuenit aliquod ex his tribus principiis omnino vitæ omnis expertus est quantumvis potentiâ locomotiua, aliæque quacunque virtute polleat. Cælis non inesse virtutem nutritiuam, id suadet quod nunquam illos macros ex defectu pabuli, aut ex eiusdem copia pingues experti sumus. Neque cælis huiusmodi nutritiua virtus esset proficua, hæc enim propria est corporum corruptibilem. Cælis virtutem sensitiuam non inesse, mihi persuadeo, quia nunquam illos dolore aliquo punctos, neque voluptate aliqua attractos vidimus. Neque in ipsis subtilem aliquam rationem, quæ res nimis ardua componeretur, aut grauis dissolueretur difficultas, quisquam agnouit, quæ ratiocinandi principium illis inesse nobis persuaderet.

Præter Philosophi, qui sentiebant cælos esse animatos
xi 4 eisdem

eisdem virtutem locomotricem impertiebantur, & ex hac illos viuientium forma gaudere deducebant. Sanioris mentis Philosophi, Patres ac Theologi, vt ab illo errore discederent, corporibus caelestibus viuentes formas, seu intelligentias, quas nos modò Angelos vocamus, non informantes, sed assistentes tribuerunt, à quibus celi non potentes mouere se ab intrinseco mouerentur. Ita docent Arist. 8. Physic. cap. 6. text. 52. & 12. Metaphysic. text. 43. Albertus Magnus in 2. dist. 14. art. 6. & 12. Metaphysic. tract. 2. cap. 10. Bonauent. in 2. dist. 14. art. 3. q. 2. P. Suarez in Metaphysic. disp. 18. sect. 3. Patres Conimbricenses & Toletus lib. 2. de calo cap. 5. P. Rub. lib. 1. de calo, cap. 2. q. 8. P. Pereira lib. 7. Physic. cap. 8. & lib. 2. in Genesim q. 6. Demum S. Thom. Opusc. 10. art. 3. & Opuscul. 11. art. 2. ait esse omnino certam sententiam, & physicis rationibus demonstratam, & seuerius de Potentia quæst. 6. art. 3. inquit, *fidei sententiam esse, quod substantie separate, siue Angeli moueant corpora caelestia.*

7 His tamen non obstantibus si tantum rationi naturali standum esset, non facile esset demonstrare corpora caelestia Dei tantum concursu generali causæ primæ præuenta non moueri per virtutem illis innatam, ex vi cuius perpetuum motum appeterent, sicut illum appetunt elementa vt propria centra petant. Dices ex hoc desumi rationis disparitatem, quia elementa mouentur, vt acquirant proprium centrum, quo acquisito illico quiescunt; & non nisi violenter ab illo extrahuntur; corpora verò caelestia si naturaliter mouerentur, nullum proprium centrum quærent, siquidem nullibi quiescerent, sed quocumque spatio acquisito aliud & aliud peterent. Non probò ego ex virtute infinita elementis ad motus, ex vi quorum propria acquirant centra, innatam propensionem corporum caelestium se mouendi, sed tantum hanc explicò à paritate rationis, quam sic expendo. Mouentur elementa virtute sibi innatâ, vt proprium veluti finem acquirant, qui est vbicatio in proprio centro: ergo poterunt perpetuò moueri simili virtute corpora caelestia, vt proprium finem acquirant, qui poterit esse motus ipse perpetuus, quem tanquam proprium finem respiciant, ita vt sicuti lapis mouetur, vt quietem habeat in proprio centro, ita celi moueantur non propter quietem acquirendam, sed propter ipsum motum exercendum, quem respiciunt vt proprium finem, seu propter vbicationes, quas per motum acquirunt, quia in has tanquam in finem, feruntur, quibus cum non possint simul frui, beneficio perpetui motus, eo modo quo possunt, successiue perfruuntur. Secundum hunc philosophandi modum, dici posset quamlibet partem corporis caelestis respicere tanquam proprium centrum totum spatium, per quod mouetur, quo successiue perpetuò motu gaudere intendit, quia totum illud simul acquirere non potest. Vtèrius: nulla est repugnantia in eo, quod Deus creet corpus aliquod, cui inest innatus appetitus ad perpetuum motum: ergo potuit huiusmodi creare corpora caelestia: quod si potuit, cur dicemus hac ratione non fuisse creata, vt propriæ ipsorum virtuti tribuamus motum, quo perpetuò eadem exerceri experti sumus, sicuti virtuti ipsius Solis tribuimus ipsum perpetuò luce perfundi, non ex alio capite, nisi quia non repugnat lucem ab ipso promanare, licet à Deo immediatè produci absque vilo Solis concursu non repugnet.

8 In hanc sententiam non parum inclinat eruditissimus noster Eusebius Nieremberg, in sua Philosophia lib. 6. de stellarum vita cap. 3. & cap. 23. & 31. Posset secundum hanc sententiam explicari D. Thomas, qui docet de fide esse corpora caelestia moueri ab intelligentiis, de motibus irregularibus, quos ex speciali Dei prouidentia contra ipsorum corporum caelestium naturam patiuntur, pro quibus motibus exercendis destinati erunt singuli Angeli singulis corporibus caelestibus. Sic in nostræ redemptionis die, quo Christus Dominus pro nobis vitam suam Patri obtulit, Angelus cuius munus est Lunæ præesse, illam mouisse dicendum est, vt Soli eclipsim pareret, & postea in suum restituisse locum. Eadem ratione ad vocem Iosue Angeli quibus incumbit exercituum motuum, qui ex peculiari prouidentia sunt, hos Planetas detinuisse credendum est, posteaque vt suum quisque naturalem motum perageret, ad proprium spatium reduxisse. Neque aliter accidisse credo Magno illi Indorum Apostolo. (quem hoc titulo voluit honorari sanctissimus noster P. Vrbani VIII. in Bulla suæ canonizationis.) Patri nostro Francisco Xauerio, cum

illius precibus exoratus Deus Solem stitisse voluit, donec nauis, quæ magna procella fluctuabat, quæque sanctissimus Pater vehebatur, ad portum feliciter esset appulsa.

Quæ hucusque adduximus tantum verisimiliter possunt suadere, potuisse Deum creare corpora caelestia, quæ virtutem haberent se mouendi ab intrinseco, id tamen de facto fecisse nulla coniectura suadet. Potuisse etiam corpora caelestia creare, quæ non nisi ab extrinseco possint moueri, extra omnium est controuersiam. Huiusmodi enim corpora plura experimur modò, illa verò, quæ perpetuò motibus regularibus se possint absque vlla vitâ moueri nunquam hucusque vidimus, & mediocri ratione suffultus poterit quisquam asserere in huiusmodi corpore repugnantiam inuolui. Tutius ergo erit asserere corpora caelestia ab extrinseco moueri, quod extra vllam controuersiam possibile est, quam constituere corpora caelestia inanimantia ab intrinseco se perpetuò mouentia, quorum non repugnantia poterit in controuersiam verti. Accedit Patrum, & Scholasticorum autoritas, quæ in questionibus de facto, vbi naturalis ratio partem aliquam contradictionis non confirmat, totum questionis decidende fundamentum esse debet. In præsentia ergo difficultate Patrum, & Doctorum vestigiis inhærens assero caelestia corpora ab extrinseco moueri.

Postquam iam ratum sit calos ab extrinseco moueri, potest quis in questionem vertere, an moueantur immediatè tantum à Deo, an ab intelligentiis, seu ab Angelis. Vtrique feri potuisse mihi omnino est certum, quia nullam repugnantiam inuenio in eo quod immediatè tantum à Deo, vel ab Angelis moueantur. De facto calos ab Angelis moueri mihi persuadet autoritas Patrum, & Scholasticorum, qui caelestes motus Angelis attribuant.

Nota duplicem esse sententiam; quandam Doctorum asserentium quodlibet calum moueri, & secum ferri astrum, seu alia illi affixa; aliam eorum, qui asserunt calos immotos permanere, & stellas non alicui illorum parti affixas moueri per aliquos canales intra calos contentos, vel ea ratione, quæ aues medio mouetur aère. Ex his prioribus tantum debent singulis calis singulos assignare Angelos, posteriores verò cuiuslibet astro proprium tenentur Angelum impertiri, non enim poterit Angelus per se immediatè astra longè inter se distantia simul mouere immoto corpore, cui insunt, quia non potest simul omnibus esse applicatus.

PUNCTVM II.

An corpora caelestia sint eiusdem rationis cum sublunariis.

Corpora sublunaria composita sunt ex materia, & forma, sunt insuper corruptibilia, quæ sub eodem titulo disputanda sunt de corporibus caelestibus, an videlicet componantur ex materia & forma, vel an sint corpora simplicia in quibus nulla essentialis compositio reperiatur. Deinde ex suppositione, quod sint compositi ex materia & forma, an constent materia eiusdem rationis cum nostrate. Tandem quacumque materia constent, disputandum est an corruptioni sint obnoxia, necne: quæ omnia paucis explicabo.

In primis suppono questiones supra infinitas decidendas esse independentes ab eo, quod caelestia corpora sint fluida, vel solida: rectè enim potest dari corpus vnum fluidum ex pers compositionis essentialis, & aliud partibus essentialibus compactum. Neque refert corpus fluidum diuisibile esse, materia enim prima diuisibilis est, & incorruptibilis, non enim diuisio quælibet corruptionem parit, sed illa ex vi cuius membra diuidentia reducenda essent ad extensionem minorem minima requisita ad conseruandam diuisi naturam. Suppono secundò ex compositione essentiali, non inferri corruptibilitatem totius, quia hoc potest esse incorruptibile, ratione materiæ, quæ tantum sit capax formæ, quæ gaudet, & ita non potest aliam recipere, quæ hæc expellatur totumque substantiale corruptatur. Potest etiam, si materia prima sit capax plurium formarum corpus esse incorruptibile ratione formæ, quæ inamissibiliter materiæ informet, & ita firmiter illi adheret vt nulla alia possit detrudi, quia ipsi debetur ex vi suæ exigentiæ, ne Deus præstet suum concursum alicui agentis,

ut formam cum ipsa impossibilem in eandem materiam introducat. Suppono tertio posse dari corpus simplex totius compositionis essentialis, imò & integralis expertis, quod probavi Contra. 5. Physic. Punct. 5. Suppono quarto corpus simplex non posse corrumpi ex vi formae impossibilis, aut alicuius qualitatis, quae eidem corpori imprimatur, sed tantum posse destrui ab agenti naturali per diuisionem, seu destructionem unionis, si corpus illud certam extensionem requirat ad sui conseruationem. Rationem trididi, & explicui loco supra citato, quam iterum repetere non vacat. His praemissis venio iam ad quaestiones propositas definiendas.

3 Caelum expertis esse compositionis essentialis docuere Durand. Gabriel. Arr. Bassolus, & alij apud Conimbr. lib. 1. de celo, q. 4. art. 1. Corpora caelestia ex materia, & forma constitui docent D. Thom. D. Bonauent. Agid. Capreol. & Herueus apud Conimbr. supra. P. Molina 1. part. & P. Tancerus tom. 1. disp. 4. q. 2. dub. 3. Hurtad. disp. 1. sect. 1. & alij quam plures.

4 Authores prioris sententiae sic arguunt. Philosophi tantum cognouere compositionem essentialem ex transmutatione formarum, seu ex aduentu vnius, & discessu alterius praexistens, sed haec transmutatio non inuenitur in corporibus caelestibus: ergo nullum est fundamentum, ut illis compositionem ex materia & forma tribuamus. Respondet Philosophos cognouisse compositionem essentialem ex hac transmutatione, posse tamen postquam illam hoc fundamento ducti cognouerunt in corporibus sublunaribus, illam à paritate rationis extendere ad corpora caelestia. Quia tamen ubi non eadem transmutationis inuenitur ratio, non bene à paritate arguitur, potest responderi transmutationem formarum arguere compositionem essentialem, ex negatione tamen transmutationis non inferri negationem compositionis, quia bene potest dari compositio ex materia, quae aliis formae incapax sit. Quod si formarum transmutationem non essemus experti, non admitteremus compositionem essentialem, ideo esset, quia huius compositionis possibilitatem penitus nesciremus, ita ut si ex alio capite talis compositionis naturam possemus agnoscere, nulla vis formarum transmutatione possemus de quocumque corpore prudenter dubitare, an hoc vel illud corpus constaret partibus essentialibus, essetue omnino simplex. Vltimò dico in sententia plurium Patrum celos fuisse ex aqua productos, quae productio dicit transmutationem formae elementalis in formam caelestem, & materiam utrique communem, in quibus essentialis compositio necessario imbibitur.

5 Arguunt secundò: si corpora caelestia constarent materia, & forma essent corruptibilia: sed sic est quod sunt incorruptibilia: ergo non constant materia & forma. Admissa maiori negant nonnulli minorem, asseruntque corpora caelestia esse corruptioni obnoxia; ego tamen nego maiorem, rectè enim essentialis compositio, & compositi incorruptibilitas possunt componi modo explicato n. 1.

6 Arguunt tertio: Non sunt multiplicandae entitates sine necessitate. Sed nulla est necessitas constituendi duplicem partem essentialem in corporibus caelestibus: ergo dicendum est esse corpora simplicia. Eodem argumento efficacius vtor ego pro opposita sententia. Non sunt multiplicandae entitates in rerum natura sine necessitate. Sed non est necessitas multiplicandi corpus simplex specie distinctum à corporibus compositis: ergo tale corpus admitterendum non est. Respondet corpus simplex necessarium esse ad perfectionem vniuersi, quae ex corporum varietate constat. Contra tamen, quia mundus iste non est perfectissimus omnium, qui possunt esse, caretque existentia plurium specierum, quibus perfectior euaderet: ergo potest existere sine perfectione, quae illi resisteret ex productione corporis simplicis: ergo poterit existere sine hoc corpore simplici. Respondet ergo sufficientem necessitatem esse ad compositionem essentialem in corporibus caelestibus constituendam, quam in aliis corporibus experti sumus, ne cogamur admittere existentiam corporis simplicis, cuius conditionis nullum hucusque experti sumus. Demum quaecumque ratio te moueat ad compositionem essentialem in corporibus caelestibus constituendam, sufficientem arguet necessitatem huius compositionis admittere.

7 Neque maioris momenti sunt argumenta, quae pro opposita sententia auctoritate seculi à ratione petuntur.

Praecipua intendunt probare repugnare corpus simplex, seu compositionis expertis, quae solui loco supra citato, ubi huiusmodi corporis possibilitatem propugnauimus. Addunt Conimbricenses: Motus Physicus est materiae argumentum, & propria entis mobilis affectio. Sed motus physicus conuenit caelo: ergo caelum est in mobile: ens autem mobile teste Arist. 7. Physic. cap. 1. text. 1. est quod ex materia, & forma constat. Respondet ens mobile per generationem, & corruptionem substantialem necessario constare materia, & forma, ens verò mobile motu accidentali, etsi corporeo, ex eo praecise quod hac ratione mobile sit, non arguere intrinsecam compositionem essentialem, sicut enim Angelus substantia simplex spiritualis potest accidentaliter moueri motu accidentali spirituali, sic corpus simplex materiale motu accidentali corporeo poterit alterari. Nulla autem est ratio auctoritate seculi, quae probet celos, aut aliquod ipsorum posse moueri motu subtili, ac proinde ex hoc capite illorum compositio non valebit inferri.

Ex his concludo neutram sententiam posse ratione naturali efficaciter probari, nihilominus adtruendam esse compositionem essentialem in corporibus caelestibus propter auctoritatem multorum Patrum, qui docent in prima sui conditione ex materia elementali fuisse procreatos, ens verò quod sit ex materia, ex hac, & alia comparte, quae forma dicitur necessario componitur. Testimonia Patrum, qui asserunt celos ex materia elementali fuisse productos videri possunt apud Tana. disp. 6. quaest. 2. dub. 4.

Ex fundamento, quo praecedentem difficultatem decidimus decisa manet alia, quae supposita compositione essentiali in corporibus caelestibus immediate suboritur, an videlicet ipsorum materia eiusdem speciei sit cum nostra, necne, neque in hac quaestione quidquam inuenio, quod possit ratione naturali, semotà Doctorum auctoritate definiti, ideo me ab illa breuissimè expeditam.

Sentio nulla ratione naturali posse probari materiam primam caelorum esse distinctam, aut eiusdem speciei cum corporibus sublunaribus, quod sic ostendo. Si ex aliquo capite posset probari diuersitas specifica materiae caelestis à sublunari, maxime ex caelorum incorruptibilitate & corporum caelestium: haec autem rem non conuincit, in primis quia probatu difficile est, si tantum rationibus agatur, celos esse incorruptibiles. Secundò, quia incorruptibilitas potest procedere ex forma, quae etsi materiam informet ex se aliis formae capacem, & eiusdem rationis cum nostra, ita firmiter subiecto adhaereat, ut nulla alia possit expelli, ut dicebam supra num. 2. Neque corruptibilitas caelorum, quam propugnans, suadebit celos habere materiam eiusdem speciei cum materia corporum sublunarium. Primò, quia corruptibilitas caelorum nulla ratione naturali potest efficaciter suaderi. Secundò, quia etiam si caeli essent corruptibiles, non inde infereretur posse corrumpi ex eo, quod illorum materia admitteret formas sublunares, sed alias caelestes diuersae rationis in quibus esset pugna, & mutua generatio, & corruptio, absque eo quod forma aliqua caelestis posset expelli è propria materia per formam quam sublunarem. Tertio, etiam si daremus materiam caelestem posse recipere formas sublunares, non posset concludi materiam caelestem, & sublunarem esse eiusdem speciei, donec exploratum esset materiam sublunarem capacem esse recipiendi formas caelestes. Quae omnia nullo modo probari poterunt, cum nulla superest experientia, quae alicui contradictionis parti subueniat.

Dices: si caeli sunt incorruptibiles: ergo illorum materies nunquam recipiet alias formas: ergo non habet potentiam ad illas recipiendas, quorum enim potentia, quae nunquam ad actum reducitur? Respondet non in quolibet indiuiduo potentiam ad actum reducendam esse, sed sufficere in aliquo, vel aliquibus reduci, quod fiet si materia prima caelorum sit eiusdem speciei cum materia prima aliorum corporum, quia licet in materia caelesti indiuidua potentia recipiendi alias formas ad actum non reducatur, in aliis materiis indiuiduis eiusdem speciei cum caelesti ad actum reducitur. Rationes alias huiusmodi inuenies, quibus non solum pars aliqua contradictionis non euincitur, sed neque leuiter valet coniectari.

In quaestione cuius resolutio omni ratione naturali est destituta, vnicè confugiendum est ad Patrum Doctorumque auctoritatem, quorum menti magis consonum esse censeo

cenſeo materiam primam omnium celorum (Empyreo dempto de quo poſtea dicam) eſſe eiſdem ſpeciei cum ſublunariis. Mitto ſententiam hanc ab omnibus antiquis Philoſophis dempto Ariſtotele fuiſſe traditam, vt videre eſt apud Conimbricenſes 1. de celo cap. 2. quaſt. 6. art. 1. Et in hac re Ariſtoteleſis ſententia flocci habenda eſt, errauit enim turpiter in hac materia exiſtimans celos à parte antea, & à parte poſt fuiſſe ab æterno creatos, & eſſe naturam ſua incorruptibiles, & æternos, ideò finxit eſſe quintam quandam ſubſtantiam valde ſemotam à reliquis alijs. Qui plura Patrum teſtimonia de hac re videre velit, adeat P. Tannerum diſputatione 6. quaſtione 2. dubio 4. vbi innumera adducit, quibus Patres innuunt ex materia elementalī celos ſtellaros procreatos fuiſſe. Mihi ſufficiat referre ſententiam Noſtri Molina 1. part. tract. de opere ſex dierum quaſt. 5. vbi dicit, ſe docuiſſe in Philoſophia, cum nondum ſcripturam ſacram ſuis momentis æſtimaret materiam cæleſtem ſpecie diſtingui à ſublunari, nunc verò oppoſitam defendere, eo quod ex ſcriptura ſacra (cuius authoritas cæteris omnibus præferenda eſt) aperte colligi videatur materiam celorum (ſi Empyreum excipiat) conuenire in ſpecie cum materia rerum ſublunarium.

13 Dixi ſuprà teſtimonijs Patrum probari celos ſtellaros ex elementalī materia fuiſſe productos, vt Empyreum exciperem, quia creationem huius nullum præceſſit elementum, ex cuius materia fieri poſſet, iuxta illud: *In principio creauit Deus celum & terram*, quod de celo Empyreō neceſſario intelligendum eſt. Ex hoc capite liberior datur opinandi facultas circa materiam cæli empyrei, & ita aſſeruit Molina probabiliter dici poſſe illius materiam ſpecie diſtingui à materia aliorum celorum corporumque ſublunarium. Mea ſententia eſt nihil poſſe in hac re ratione naturali demonſtrari, de qua non philoſophando, ſed tantum diuinando loqui poſſumus, ideò illi penitus ſuperſedeo. Venio iam ad aliam quaſtionem de celorum incorruptibilitate.

14 Celos natura ſua eſſe corruptibiles dempto Ariſtotele docuere Philoſophi omnes. Eandemque ſententiam nonnulli ex Patribus videntur fuiſſe amplexi, eo fundamento ducti, quod ex elementalī materia fuerint procreati. Idem iudicare videntur Magiſter in 2. diſtinct. 14. & Carthus. in 1. diſtinct. 14. q. 7. & expreſſe docent Cathar. in epiſt. ad Hebr. 1. & in 2. Petri 3. Hieronymus Magius lib. de exiſtentia mundi, Valeſius lib. de Philoſophia ſacra cap. 89. Pater Alphonſus Salm. tom. 1. Proleg. vltimò in 2. Petri 3. diſputatione 4. & Pater Martinus del Rio cap. 1. Genef. & Pater Euſebius Nieremberg. lib. 6. de ſtellarum vita cap. 13. Subſcribunt ſerè omnes Mathematici huius temporis, qui tenaciter defendunt cælum fluidum eſſe, & diuiſibile, ex eo quo illius corruptibilitatem deducunt. Secundò, quia exiſtimant noua phenomena, quæ diuerſis temporibus in celo apparere, & quaſdam maculas, quæ in ipſo Solis diſco non raro videntur, non poſſe ſine celorum corruptibilitate explicari.

15 Celos eſſe ingenerabiles, & incorruptibiles docuit Ariſtoteles lib. de celo cap. 3. & lib. 2. capit. 1. Philoſophus ex ſanctis Patribus ſequenti ſunt Dionyſius apud ſanctum Thomam infra citandum, & Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio cap. 1. ex Scholaſticis S. Thom. 1. part. quaſt. 66. art. 2. & in 2. diſt. 14. quaſt. 2. Albertus Magnus part. 1. de quatuor coram quaſt. 4. art. 1. Bonauent. in 2. diſt. 14. art. 1. quaſt. 1. & 2. Pater Molina 1. part. q. 9. art. 2. diſput. 3. PP. Conimbricenſes lib. 1. de celo. c. 3. Pater Hurtadus diſp. 1. ſect. 5. & ſerè omnes Philoſophi, Theologi, atque Scripturæ interpretes.

16 Nullius ſententiæ rationibus conuincor, quas omnes breuiter attingam, & infringam. Arguunt Patroni primæ ſententiæ. Cæli facti ſunt ex materia elementalī: ergo habent materiam alijs formæ capacem: ergo poterunt corrumpi alia forma adueniente materiæ, ex his quas poſteſt recipere. Do antecedens, concedo priorem conſequentiam, & poſterioſem nego. Sæpè enim dixi incorruptibilitatem totius poſſe prouenire ex forma inamiſſibiliter informante materiā, à qua per aduentum alijs formæ non poterit expelli, etiam ſi materia quatenus eſt ex ſe, capax ſit recipiendi aliam formam, quia illam abſolutè non poterit recipere ratione formæ qua inamiſſibiliter informatur, ſicuti humanitas Chriſti vnita Verbo, etiam ſi ex natura ſua vnione ſecluſa capax ſit peccandi, impeccabilis efficitur ratione vnionis in ſenſu diuiſo,

& in ſenſu composito, quia vnitur Verbo vnione quadam inamiſſibili.

Arguunt ſecundò: corpora cæleſtia ſunt fluida, & diuiſibilia: ergo corruptibilia. Do antecedens, & nego conſequentiam, ſtatui enim num. 2. non omnem diuiſionem parere corruptionem partis diuiſe vt videre eſt in materia prima.

Arguunt tertio Mathematici, non poſſe defendi Phænomena, quæ in cælis apparuerunt, ſi cæli corruptibiles non ſunt. Reſpondeo ſat bene omnia Phænomena explicari ſi cæli fluidi ſint, etiam ſi incorruptibiles exiſtant, vt conſtabit ex dicendis Punct. 3. an verò ex illis inferatur celos fluidos eſſe, ibidem inquiram.

Neque grauioris momenti ſunt fundamenta ſententiæ propugnantis incorruptibilitatem celorum. Præcipuū argumentum deſumitur experientia, qua comperitur eſſe omnia cæleſtia corpora mirabili conſtantia per tot ſæcula permanſiſſe, quod ſine ipſorum corporum incorruptibilitate accidere non potuiſſet. Si enim Lunæ globus diſſolui poſſet, iam acrimonia ignis eſſet expertus, & ab eo ſuſſet abſumptus. Profeſſò hanc eandem conſtantiam minor ego in elementis, præcipuè in aëre, in quo poſt tot ſæcula nullam ipſius iacturam experti fumus, etiam ſi natura ſua corruptibilis ſit, nonnullaque patitur, illico enim mutua reſactione ea reſarcit, & tantundem materiæ vicine elementi appropriat, quantum ipſi aëri contrarium attraherat elementum. Similem luſtam quiſque poterit admittere inter globum lunæ, & ignem huic attiguum, cui nulla experientia reſragabitur. Neque neceſſum eſt leuiſſimam iacturam etiam illico reſarciendam in Luna admittere, poſteſt enim dici Lunam protegi partibus globi, cui aſſidet, quæ prius cum igne pugnam experiuntur, & cum nunquam omnes ignis alumpſerit, non poſteſt Lunam remotiorem lædere, & multo minus alia corpora cæleſtia luna remotiora. Adde nulla experientia poſſe probari nullam lunæ portiunculam deperdi, quia ſi de facto ita accideret, nullo inſtrumento Mathematici beneficio poſſet in corpore adeò vaſto notari.

In re ratione naturali deſtitutà eo cum Doctõribus, qui aſſerunt celos eſſe incorruptibiles, quia illorum authoritas maioris mihi ponderis eſt, & quia de eorum mente dubitare non licet: de mente autem illorum, qui videntur aſſerere celos eſſe corruptibiles non levis poſteſt eſſe dubitatio, multi enim hoc loquendi modo tantum ſignificant celos poſſe à Deo corrumpi, quod non negamus, in quo tantum Damasc. lib. 2. fidei Orthodox. c. 3. & alij multi Patres aſſerunt nulli entitati, eſſi Angelus comprehendatur, naturā ſuas, ſed Dei gratia incorruptibilitatē conuenire. Idē loquēdi modus reperitur in 6. Concil. Generali actione 11. vbi dicitur Angelos non eſſe immortales per naturam, ſed per gratiam: quia videlicet ex ſe poſſunt non exiſtere, nec niſi Dei creatis beneficio eſſe habent. Noſtra verò quaſtio non procedit de incorruptibilitate celorum reſpectu omnipotentie diuinæ, à qua certum eſt poſſe corrumpi, & deſtrui, ſed reſpectu cauſarum naturalium, à nulla quarū cæli poſſunt corrumpi, ideò illos abſolutè incorruptibiles vocamus. Adde totū fundamentum pluriū Doctõrum aſſerentiū celos eſſe corruptibiles tantum deſumi ex eo, quod fuerint procreati ex materia elementalī, quod nullius roboris eſt, potuit enim ex eadem materiā, qua modo totum corruptibile cum hac forma componitur, totum aliud incorruptibile cum alia forma inamiſſibiliter informante conſtitui.

Hic nonnulli diſputant an cæli corrumpendi ſint à Deo in extremo die, quæ difficultas diſſoluenda eſt ex ſacris litteris, & non ratione aliqua naturali, ideò illam ſacra Scripturæ interpretibus integram relinquo. Lege ſi placet Tanner. & Conimbr. ſuprà, apud quos Patrum ſententias de hac re inuenies.

PUNCTVM III.

An corpora cæleſtia ſint liquida, & mollia, vel ſolida, & dura.

§. I.

Propoſita quaſtione varia ſententia referuntur.

Difficultas non eſt de celo aëreo, quod experientia conſtat fluidum eſſe, nec de celo Empyreō, quod non

non solum loco, sed naturae dignitate reliquos alios caelos exsuperat, quodque ab omnibus Doctores immobile, & solidum constituitur, quia beatorum curia, & quasi theatrum est ad recipienda distinctis sedibus beatorum corpora destinatum, & ob hanc rationem communiter creditur versus partem superiorem esse quadratum, quod nonnulli significari volunt illo Apoc. c. 21. *Civitas in quadra posita est.* Procedit ergo praedicta difficultas de caelo stellato siue hoc unum sit, siue multiplex, nec ideo incidit cum illa, quam exagitemus de caelorum incorruptibilitate, quia siue caelum sit fluidum, siue solidum, ex his differentiis non illi corruptibilitas, aut incorruptibilitas repugnat; quod debuerant advertere nonnulli, ne distinctas, & disparatas quaestiones involuerent, & totam disputationis materiam confunderent.

Prima sententia docet caelum omne sydereum tam stellarum errantium, quam inerrantium solidum esse, in hanc conspirant ferè omnes antiqui Scholastici, & Scripturae interpretes Aristotelem sequuti lib. 2. de caelo à text. 43. vsque ad 52. Ex Philosophis antiquis Iosephus lib. 1. antiquitatum cap. 1. Philo. lib. 1. de gigantibus. Idem ex Moysis & Platonis sententia docet Eusebius de preparat. Evangelica lib. 11. cap. 16. Ex Patribus referuntur pro hac sententia Basilium Homilia 3. Hexameron, & Ambros. Basilium sequutus lib. 2. Hexameron Homil. 2. Verumtamen hi Patres multum fauent sententiae, quae caelos liquidos esse affirmat. Clarius videntur sententiam hanc tradidisse Clemens Papa lib. recognitionum cap. 9. Origenes homilia 1. in Genesim. Alij quàm plures Patres pro hac sententia referuntur à Nostro Tannero tract. 1. disputatione 6. quaestione 3. dubio 2. quos omitto, quia si illorum verba attentè expendantur nihil praedictae sententiae favere competent erit. Ne tamen videar hanc gratis dixisse referam Chrysostomi verba adducta à Tannero pro hac sententia ex Catena Lipomani sect. 4. *Precepto Domini productum est firmamentum, separationem aquarum faciens, quod valeat alias sub se continere, alias verò in connexo suo ferre.* Quibus verbis nihil de caelorum soliditate ait Chrysostomus, sed illam vult inferre Tannerus ex eo, quod caelum aquas ferat, quas ferre non posset si fluidum esset. Sed hae illatio nulla est, ut ostendat num. 10. ubi probabo soliditatem caeli non inferri ex eo quod supra se aquas contineat. Neque ad rem magis faciunt Sinaiæ verba pro eadem sententia adducta à Tannero ex commentariis Hexameron lib. 1. *Qui enim ex aquis formavit caelum, & super aquas suspendit terram, poterat & sine aqua indissolubile custodire firmamentum, etiam ex igne Solis.* In quibus verbis nihil inuenies, quod caeli soliditatem innuat, quod enim firmatum, & indissolubile dicatur, illius tantum incorruptibilitatem, aut perpetuitatem, seu diuturnam durationem potest indicare. Hae dixerim, ne Patrum ingens manus, quae pro hac sententia adducitur, te sine longo examine ab opposita sententia terreat, vix enim unum vel alterum inuenies, qui clarè & aperte sententiam hanc tradiderit. Demum sententiam hanc defendunt Pater Martinus del Rio in Genes. cap. 1. num. 36. & Pater Pereira lib. 7. quaestione 9. Pater Tannerus supra, licet asserat caelos natura sua non esse solidos sed fluidos, & hac ratione primo die à Deo fuisse creatos, postea verò ab eodem fuisse consolidatos, additque vix sine temeritate negari posse caelum stellarum inerrantium (quod solum nunc à recentioribus firmamentum dicitur) solidum esse.

Secunda sententia tenet caelos omnes non excepto caelo stellarum inerrantium fluidos esse. Hanc videntur docuisse non pauci ex Patribus: Iustinus ad quaestionem 39. Orthodoxorum. Eusebius Emisenus in Catena Lipomani capite 1. Genes. Gregor. Nyssenus in Hexameron. Inferunt etiam ex Chrysostomo homilia 9. in Genesim ubi stellas solum & non caelum moveri asserit. Neque eidem sententiae parum fauent Basilium Homil. 1. Hexameron cap. 6. Accedunt Lactantius lib. 3. de falsa sapientia cap. 24. Procop. in Genesim cap. 2. Diodorus Tarlensis in Catena Lipomani relatus. Philastrus in suo catalogo Hereseon. Observe autem insuper Naclantius in sua medulla veteres Rabbis caelos soliditatis expertes existimasse, quod vnanimes docere praesci Philosophi apud Arist. supra, Cicero 2. de Nat. Deorum, Plato in Timæo, Seneca lib. 7. naturalium quaestionum. Consentient nobilissimi scripturae interpretes Hugo Card. in caput 1. Genes. vers. 1. Carthus. ibid. vers. 12. N. Mariana vers. 12. & nouissimè N. Complutensis

Celada in commentariis Genesim iam prelo maturis. Demum densissimum Mathematicorum agmen à quo neque vnus huius temporis recedit, caelos esse fluidos acriter propugnat, neque aliter componi posse vnanimes inquirunt omnes huius temporis astronomi plura phenomena, quae nouis instrumentis praecipuè tubo optico his temporibus sunt obseruata praecipuè à Tycho Brahe quem non imparem Ptolomaeo nonnulli non immerito praedicant. Expendit plura ex his, quae huius authoris pericia inuenit, assueta eruditione Nolter Eusebius in sua Philosophia lib. 6. de stellarum vita, quibus compertum esse ait caelos fluidos esse & non solidos.

Tertia sententia media inter utramque relatam asserit stellas inerrantes caelo solido infixas esse, cuius motu feruntur; errantes verò siue Planetas nullo solido corpore illas deferente in aethere fluido liberè vagari. Possent in hanc sententiam adduci non pauci ex Antiquis asserentibus stellas inerrantes fixas esse firmamento, & stellas errantes per aethera vagari, verum hi auctores tantum volunt significare Planetas nullo inter se obseruato moueri ordine, siue proprio caelo affixi simul cum illo ferantur, siue in eodem quasi natantes proprio cidentur motu. Neque ex Antiquis Patribus aut Philosophis vllus inuenitur, qui eam tradiderit, illam tamen nuper docuit Merfenius in suo singulari opere supra Genesim capite 1. vers. 8. artic. 9.

§. II.

Expediuntur fundamenta prima sententiae.

Fundamenta huius sententiae è ratione petita leuissima sunt, ut postea constabit; ideo praecipuè ex autoritate petuntur.

Primo solet hae sententia probari ex lib. Iob cap. 37. vers. 18. ubi dicitur: *Tu suscipis eum eo fabricatus es calor, qui solidissimus quasi aere fusi sunt.* Respondeo Nostri Pinedam ad huc locum caelorum nomine aërem intelligere. Sed esto intelligendi sint caeli, de his praedicta verba poterunt explicari, ea ratione qua eadem de aëre interpretantur Pineda, qui solidus non est, sed fluidus, ibi enim quidquid nomine caeli intelligatur, non comparatur cum aëre, quia solidum sit, quatenus solidum fluido opponitur, sed quatenus aëre firmum constans, & diu est perseverans. Alij apud Venerabilem N. Gasparem Sanctum in hunc locum vertunt, *quasi speculum fustum, aut quasi visio fustis*, quia videlicet in caelo tanquam in crystallo pellucida, aut in aëre polito, & terso variae apparent, & elegantes species, in quo potest intelligi comparatio inter caelos & aëre. Adde praedicta verba non esse Iobi, aut authoris libri sacri, sed garruli Eliud, cuius stultitiam postea Dominus reprehendit.

Eadem sententia à nonnullis probatur ex illo Isaia 51. vers. 6. *Caeli sicut fumus liquefcent, & terra sicut vestimentum atteretur.* Si ergo caeli sicut fumus liquefcent in extremo die, ante hunc diem liquidi non erant, non enim potest dici nunc liquefcere, quod immediate antea liquidum erat. Respondeo, sacrum vatem praedictis verbis intendere significare firmitatem & stabilitatem verborum Dei, & ipsius promissionum, quod praestat dicens facilius esse caelum, quod firmum & perpetuum omnes praedicant instar fumi euanescente & in nihilum redigi, terramque instar vestis conteri, quam in minimo verbum Dei deficere, iuxta illud Matthaei 24. *Caelum & terra transibunt, verba autem mea non praeferibunt.* Quae verba hunc sensum hypotheticum reddunt, etiamsi caelum quod permanens, & stabile est tanquam fumus euanesceret, aut in nihilum redigeretur, & terra instar quassatae vestis in minuculas sui partes tota redigeretur, meum verbum firmum, stabile, & inconcussum permaneret. Ita verba Isaia interpretatur Venerabilis noster Sanctius ad hunc locum. Ad rem septuaginta Isaia relata verba transferunt. *Caelum sicut fumus firmatum est.* Hoc est si cum firmitate verbi Dei caelorum firmitas comparatur, profecto hae fumi imbecillitati similis erit, & non fumo firmiores caeli apparebunt. Neque nouum, aut rarum est in sacra pagina rerum creaturarum imbecillitas fumo significari: Psalm. 36. vers. 20. *Quemadmodum deficit fumus deficient, & Psalm. 101. vers. 3. Defecerunt sicut fumus dies mei.* En quomodo Isaia verba secundum scripturam phrasim,

phrasim, & iuxta nobilissimum illius interpretem explicetur, absque eo quod intelligatur calos in extremo die inepturos liquefcere.

8 Arguitur tertio ex ipso nomine *firmamentum* quo celi donantur, quod non solum rem stabilem & solidam, sed etiam solidam significat. Respondeo, quàm plures Doctores nomine firmamenti aërem intelligere, in quibus sunt Pater Pererius, & Pater Martinus del Rio, quos sequitur Hurtadus, subscribit Merfenus in caput. 1. Genes. vers. 8. quæstion. 7. art. 7. qui omnes imitati sunt D. Augustinum, apud quem hæc interpretatio clarissimè legitur 2. Genes. ad litteram cap. 4. ubi illi adhæret, ut laudet eum, quia eam explicationem primò inuenit. Nec efficaci ratione destituta est hæc interpretatio, firmamentum enim factum est, ut inquit sacer textus ut diuideret aquas ab aquis: ergo debet esse immediatum aquis, & aquis, quas diuidat: ergo si aquarum nomine intelligantur aquæ in parte superiori aëris existentes firmamenti nomine intelligitur aër interstitius: si verò intelligantur aquæ existentes supra cælum stellatum, nomine firmamenti non tantum debent intelligi cælum stellarum, & Planetarum celi, sed etiam aër, quia duo extrema non diuidi dicuntur per corpus tantum aliter immediatum, sed per omnia, quæ sumpta per modum vnus vtrique extremo immediata esse dicuntur, non enim in sententia quæ septem cælos seprè Planetis adscribit dicitur cælum stellatū diuidi à cælo Lunæ per cælum Saturni quod est immediatū respectu celi stellati, & mediātū respectu celi Lunæ, neque cælum Mercurij quod est immediatum respectu Lunæ, & mediātum respectu celi stellati. Sed cælum Lunæ, & cælum stellatum diuidi dicuntur per cælos sex planetarum, qui occupant totum interstitium, quod est inter Lunæ cælum, & cælum stellatum. Sed esto firmamenti nomine intelligantur solum cælum Empyreum, & Planetarum cælum, non verò aër. Respondeo, firmamentum non significare rem solidam sed expansam ad modum laminae, firmamentum enim idem est quod expansio, hæc autem in corpore fluido, & in corpore denso potest reperiri. Lege si placet Merfennium loco citato, ubi ex peritis linguæ Hebrææ probat hanc esse significationem nominis *קִיפָּה* *Kiaph*, cui respondet nomen latinum *firmamentum*.

9 Arguitur quarto: ex illo Pauli ad Hebr. 4. vers. 14. *Habemus Pontificem, qui penetravit cælos.* Si ergo Christus cælos penetravit, fluidi non sunt, quia si fluidi essent, necessum non esset illos penetrasse, facile enim posset absque vlla penetratione illos pertransire, sicuti nos spatium aëre repletum excurrimus. Hæc obiectio leuissimi momenti est, verbum enim *penetrare* apud Latinos non importat necessariò penetrationem philosophicam, sed ingressum ad interiores partes corporis, quod dicitur penetratum, sic ille qui vastum mare pertransit, maria dicitur penetrasse. Demum etiam de penetratione philosophica prædicta verba essent intelligenda, adhuc non euinceretur cælos non esse fluidos, potuit enim Christus se corporibus fluidis penetrare, etiam si posset illa remouere, & absque penetratione illorum spatium percurrere, sicuti de facto voluit se penetrare coenaculi ianuis clausis, etiam si posset has aperire, & absque vlla penetratione coenaculū ingredi.

10 Leuiorem ingerunt difficultatem testimonia alia pro hac sententia adducta ex Psalm. 32. vers. 6. *Verbo Domini celi firmati sunt,* & Prouerb. 3. vers. 19. *Dominus sapientia fundauit terram, stabiliiuit cælos prudentia,* & ex 2. Paralipom. cap. 6. vers. 33. & 39. *firmissimum, & firmum habitaculum Dei.* Quibus testimoniis tantum significat sacer textus, cælos esse constantes, firmos, nunquamque à suo munere, & repetito cursu defecturos, id enim stabilitum dicitur, quod ita est statutum, ut non possit defectus aliquis timeri, siue fluidum siue liquidum sit, quia tamen in his quæ experimur frequenter solidiora constantiora sunt, idè vulgo tantum solida apprehenduntur stabilita. Adde locum ex secundo Paralipomenon desumptum intelligendum esse de cælo Empyreo, quod specialiter dicitur Dei habitaculum, quia est propria Beatorum sedes, quæ Deo clarè viso perfruuntur.

11 Rationes, quæ pro hac sententia adduci solent leuissimæ sunt, quas nullo negotio quisque dissoluet, vnam vel alteram attingo. Arguit Tannerus saltem cælum stellatum debere esse solidum, ut supra se valeat aquas continere, quas supra cælos esse ait Regius vates Psalm. 148. quæ cælo liquido non possent sustentari, & ita propria

grauitate depressæ ad proprium vsque centrum ruerent. Suppositum huius rationis dubium est, & hoc admissio ipsius discursus inefficax, & insufficiens. Suppositum est dubium, quia sunt plures scripturarum interpretes, qui negant supra cælos aquas fuisse collocatas, sed tantum regionem aëris, seu ipsum aërem esse intelligendum per firmamentum, quod in scriptura aquas ab aquis diuideret dicitur. Ita tenent S. Thom. 1. p. q. 68. a. 2. & 3. Durand. in 2. dist. 14. quæst. 1. Caiet. in c. 1. Genes. Tostatus in Pollilla super Genesim P. Pererius lib. 2. in Genesim c. 1. vers. 6. P. Valent. 1. part. disp. 5. quæst. 3. Puncto 2. & plures alij. Admissio quæstionis supposito, ratio est inefficax, quia rectè potest corpus fluidum aliud supra se sustinere, videmus enim oleum aqua sustentari, & hanc semper inferiorem locum petere, illudque semper aquæ insidere. Est etiam ratio insufficiens, quia si aquæ grauitarent supra cælum stellatum, & hoc quia solidum, illas sustineret, impediretque, ne ad nos descenderent, adhuc ratio erat reddenda cur ipsæ contra propriam grauitatem toti superficiæ conuexæ globi stellati adhærent, & non hac, illacque diffloerent, globus enim quantūvis æreus tantum poterit aquas coëcere, ne petant spatium contentum intra illius concuum superficiem, non tamen illas vndeque globum ipsum circundantes, poterit continere. Dicendum ergo est supra stellatum cælum nullas exister aquas, vel si existant ibi non grauitare, quia sunt extra Lunæ concuum, & extra mundum, sicuti non grauitarent si in aliquo inani ab hoc mundo distanti collocarentur.

Arguit secundò ipse Tannerus: non sine magno strepitu stellas esse mouendas, si per corpus liquidum cicerentur, videmus enim volitantes aues proprio motu aërem quatientes non leuem sonitum edere. Talem enim sonitum non edere experientiâ compertum est, nunquam enim stellas se mouentes audiuius. Respondeo, in multorum sententiâ hominem existentem intra aquam nullum posse percipere sonum, quia aqua non est medium aptum ad recipiendas species soni, eademque ratione dici posse cælos non esse medium aptum ut mediis illis ad nos soni species transmittantur, & ita ex defectu principij seu speciei non posse à nobis audiri sonum editum stellarum motu. Secundò posset dici cælos ipsos aptos non esse ad sonum recipiendum, & ita stellarum motu hunc in illis non produci, quod non pauci affirmant de aqua elementalī, afferentes intra aquam nullum sonum produci motu piscium, saxorumque percussione, quando hæc nullo modo aëri patent. Vltimò ob nimiam distantiam excusari possemus ab stellarum strepitu audiendo. Nonnulla alia adducit Tannerus leuissimis momenti, idè illa penitus omitto.

§. III.

Expediuntur fundamenta secunda sententia.

13 **P**ater Patrum auctoritatem, quæ huic sententiæ videtur suffragari, eam validissimè propugnant quàm plures obseruationes Astronomorum, quæ difficillimè componentur, si cælum solidum esse defendatur.

14 Primò, quia Luna inæqualis apparet, multis se montibus attollens, qui ex profundis assurgunt vallibus: ergo Luna mouetur per corpus fluidum, quod possit cavitates vallium replere, aliàs vacuæ permanerent, non enim possunt corpore solido repleti. Huic argumento rectè respondet Tannerus cavitates illas posse perpetuò esse repletas corpore aliquo diaphano, quod non impediatur partes Lunæ suis cavitatibus, & protuberationibus distinctas, sicut corpus fluidum replens cavitates non impedit videri à nobis partes depressiores Lunæ eminentiores alias, ita potest dari corpus solidum perpetuò replens cavitates illas, quod visui aditum non præcludat ad omnes Lunæ partes suis positionibus distinctas percipiendas. Addit Arriaga, posse dici Lunam aëri esse immediatam, & ita posse ab hoc repleti cavitates illas, quas reddunt Lunæ partes aliis comparibus eiusdem Lunæ eminentiores.

15 Secundò, ex Cometarum aspectibus sic arguunt Astrologi. Visti sunt Plures Cometae in ipso stellarum cælo supra omnes Planetas: alij etsi non adeò eminentes supra alios Planetas: ergo cælum necessariò debet esse fluidum, ut his nouis corporibus Cometarum locum cedat, & est corruptibile, siquidem in ipso huiusmodi Cometae generantur, & corumpuntur. Ab hac secunda consequentia facile me expedit, potest enim dici Cometas non gigni cum

cum primo nobis apparent, neque corrumpi cum nostrum fugiunt obtutum, sed per motum localem nostris applicari aspectibus, & ab eisdem remoueri. Facilius se ab vtriusque illatione extricant alij, in quibus Tannerus, & Arriaga negantes Cometas aliquando gigni intra ipsos caelos, sed tantum in regione aeris, & propter nimiam distantiam nobis apparere intra ipsos caelos existentes. Facile me huic sententiae accommodarem si apud nostrum Eusebium lib. 6. suae Philosophiae cap. 8. innumeras observationes non legissem, tum antiquorum, tum recentium Astrologorum, qui vniuersim affertunt demonstrari hos Cometas intra caelos apparuisse, referuntque quam plures, quorum aliqui supra Lunam, alij supra Solem, & nonnulli supra omnes Planetas in ipso stellarum caelo refutasse. Legem placet Eusebium loco citato, ubi praedixit & iudicandum valde de hac re eruditionem inuenies, quam modo referre non vacat. Credo ergo doctissimos Astronomos, quia vnicuique in sua arte credendum est, & quia alienum ab omni ratione iudicio hominem Astrologiae principis & demonstrationibus non instructum asserere innumeros homines huius facultatis peritissimos, diuersis locis, & temporibus existentes fuisse simul deceptos, & in eundem errorem conspirasse, circa Cometarum situm, pluresque loco distitos eidem Cometae per errorem eundem locum designasse, quod credibile non est, & moraliter repugnare videtur.

16 Refert Arriaga nonnullos recentiores in Manuscriptis asserentes, Cometas fieri ex coniunctione plurium stellarum, quae separatae cerni non possunt, & coniunctae seu inter se applicatae nostris patent conspectibus, quod docet Noster Eusebius lib. 6. Philosophiae cap. 34. & apud antiquos Philosophos controuersum fuit, in quibus hunc dicendi modum Democritus, & Anaxagoras fuerunt amplexi. Addit idem Eusebius cap. 35. criminem seu caudam Cometae confici radiis solaribus, quae traiciunt spatia, quae sunt inter stellas, quae Cometae conficiunt, quia haec non sunt adeo inter se applicatae, vt omnem aditum lucis Solis pracludant, sed cum aliqua distantia ipsarum inter se, quae adeo est exigua vt non possit discerni a nobis. Ad hanc rem facit Cometarum caudas semper Soli oppositas fuisse conspectas, quod si verum est aliquando fuisse aliquam Cometae caudam non Soli oppositam, sed Mercurio, aut Veneri, dicendum est tunc radios lucis, quibus Cometae cauda efficitur a Mercurio aut a Venere, cui cauda opposita iaculatur.

17 Doctrinam hanc improbabilem putat Arriaga, quia si Cometae fierent ex conuentu multarum stellarum, aliquando videretur medius Cometa in vna parte, & in altera medius alius, & postea simul vtrique medietas. Id quod Arriaga tanquam absurdum infert, de facto contigisse testantur apud Eusebium supra peritissimi Astrologi. Keplerus affirmat ex tribus Cometis, qui apparuerunt anno 1618. secundum & tertium esse partes a primo diuisas, & Eforus de alio Cometa, qui suo tempore apparuit testatur in distinctas fuisse diuisum, & Dion de alio Cometa, qui diu supra Romam refulsit, asserit in multiplicem partem fuisse diuisum, & postea euanuisse.

18 Arguit insuper Arriaga, quia corpora seu partes illae, quibus Cometa componitur, ita videntur vt plane efficiant vnum per se, & perfecte contiguum, quod regulariter fieri non posset, si Cometa fieret casuali concursu partium illuminatarum. Addit quod si Cometae fierent ex concursu diuersorum motuum in ipsis caelis non semper in eodem loco apparent. His omnibus solutionem praebet observatio Nostri Sifati peritissimi Astrologi, qui apud eundem Eusebium notasse ait instrumentis ad rem aptis in Cometa viso anno 1618. componi aliquibus stellulis aliquando pluribus, paucioribus aliquando, hodie hanc inter se distantiam habentibus, & eras minorem, aut maiorem aliam.

19 Porro si soliditas caeli defendenda sit, tutius erit asserere Cometas hos miraculose produci a Deo, qui signis his vult homines commoneri de graui damno imminenti, vt ad meliorem vitam reducantur, vel magnorum Principum mortes notas fieri, vt omnes aduertant supremas etiam hominum maiestates vna communi omnium morte, aliisque huius vitae calamitatibus, atque miseriis propulsari.

20 Tertium argumentum desumitur ex Solis maculis. Observant enim periti Mathematici, quod ipse Tannerus magna sui animi volupate tubi optici inopexisse dicit, aliquando in Sole nonnullas videri maculas, quas

Franc. de Quevedo, Philosoph. Tom. I.

efficiunt corpora propè Solem existentia exigua nullave luce ornata. Ex hac observatione duo inferunt Mathematici. Primam, caelum esse corruptibile, siquidem in illo haec noua corpora generantur, & corrumpuntur. Secundum, fluidum esse, vt cedat his corporibus denuò aduenientibus. Male haec duo simul volunt inferre Mathematici, si enim quis concederet illa corpora gigni, & produci, non teneretur concedere caelos fluidos esse propter rationem dictam, quia corpora illa producerentur ex praesistenti materia, quae antea sub forma corrupta occupabat idem spatium quod modò occupat sub forma denuò genita, & ita forma genita succedebat in spatium corruptae materiae vtrique communi inuariata, abique eo quod pars aliqua caeli a proprio remoueretur loco, vt illum cederet corpori denuò producto. Secundò si semel admittatur caelos fluidos esse, necessum non est denuò gigni corpora illa, quibus Sol maculatus esse dicitur, poterunt enim per motum localem applicari Soli eo tempore, quo iuxta illum apparent, & postea ab eodem Sole remoueri. Ceterum corpora illa non gigni cum apparere incipiunt, suadet, quia vix potest excogitari causa a qua talia corpora lucis incapacia producantur, cum vndequeque lucidissimis corporibus circumdantur. Secundò quia si haec corpora denuò producerentur, aliquando propter multitudinem, aut magnitudinem ipsorum totum solem operirent, quod nunquam contigisse experientia compertum est. Deinde possent in diuersis caeli spatiis procreari, & aliquando propè stellas inegranter procrearentur, & illas nobis absconderent, constat autem sado caelo nunquam stellam aliquam disparuisse. Demum dici potest nouo horum corporum accessu non probari caelos fluidos esse, quia possunt huiusmodi corpora in aliquo Epicyclo contineri, cuius motu modò infra solem existant, modò supra illum valde distantia circumagantur. Epicyclus dicitur circulus caelo inclusus, qui mouetur proprio motu distincto a motu caeli, quo continetur, sicuti moueri solet gemma in pala annuli, etiam annullo immoto.

Quantum argumentum desumitur ex stellis, quae Iouiales dicuntur, haec sunt quatuor Planetae minoris magnitudinis, qui proprio motu Iouem circumire deprehensi sunt, quod fieri non posset, si caeli solidi essent, quia non possent stellae circum Iouem moueri non disrupto caelo per quod mouentur. Idem argumentum fit de duabus aliis stellulis quae indiuiduè Saturnum comitantur, & circumstant. Responderi potest exiguos Planetas aliquo Epicyclo contineri, cuius motu circumeunt praecipuos Planetas, quos comitantur.

Sextum argumentum omniumque difficillimum desumitur ex aliquibus Planetis, qui iam supra solem, iam infra illum apparent, sic de Mercurio, Venere, & Marte peritissimi Mathematici obseruauerunt, qui saepe vidisse aiunt Mercurium, & Venerem supra Solem, & Martem infra ipsum. Neque huiusmodi diuersi motus nouis tantum astronomis patuere, siquidem occasionem dedere Aristoteli constituendi Solem Lunae immediatum in secundo caelo, aliisque Philosophis Anaximandro, Metrodoro, & Chio collocandi Solem in quinto caelo, & Martem in quarto, in quas sententias tam Pythagorici, quam Peripatetici, & Academici fuere diuisi nostro Eusebio teste lib. 6. suae Philosophiae cap. 7. Ex his observationibus hoc argumentum desumitur. Mercurius, cuius propria sedes est inferior sede Solis ascendit supra ipsum Solem: ergo traiecit spatium illud per quod mouetur Sol. Vel ergo pars caeli, quae occupat Solis circulum, quem traiecit Mercurius sponte loci cedit Mercurio, & sic fluida erit, vel si solida sit, Mercurius penetrat cum illa, vt illius transgrediatur spatium, aut illam disruptit, quod fieri nequit, quia duorum corporum penetrationem Philosophia non admittit, neque caeli violentam ruptionem admittit, qui illos solidos esse defendunt. Respondet Tannerus motum Mercurij & Veneris posse componi, si his Planetis distincti assignentur Epicycli in ipso Solis caelo inclusi, quorum proprio motu Solem circumueant. Circa Martem vero negat Mathematicam hypotheseos, aitque semper Sole esse eminentiorem. Ceterum cum admittat Mercurium & Venerem modò infra Solem modò supra Solem praesentari, quod Epicyclorum beneficio componit, quid refert Epicyclum alium pro Marte addere, quo in eodem caeli sole proprio motu circumagatur.

Solutio haec ex Epicyclis desumpta destruit numerum caelorum, quem adituit communis sententia illorum, qui

kk

caelos

celos admittunt distinctos, cum enim non possit dari Epicyclus communis duplici celo, Planetæ omnes, qui Epicycli beneficio Solem circumuehant, cælum cum illo commune habere debent. Ob hanc rationem doctè notat Noſter Eusebius lib. 6. sup. Philosophiæ, quinque tantum stellarum sphaeras esse admittendas, si res, aut mente separentur. Prima Lunæ est tribuenda; secunda Soli, in qua Mercurius, Venus, & Mars continebuntur, quia illorum motibus cum motu Solis spatium est commune: tertia sphaera danda est Ioui, quarta Saturno: quinta stellis inerrantibus. Doctrinam hanc admittit Tannerus, qui asserit Cælum solis commune esse futurum Mercurio, & Veneri, si hi Planetæ Solem circumuehant.

§. IV.

Fundamenta tertia sententia, quæstionisque resolutio.

24 Tertia sententia Planetarum celos fluidos esse dicebat & inerrantium cælum solidum esse propugnabat. Prioris partis fundamenta sunt, quæ adduximus pro secunda sententia, quorum præcipua, & quæ difficultatem ingerunt tantum de errorum cælis procedunt, non verò de inerrantium stellarum celo. Partis secundæ fundamentum desumitur ex testimoniis scripturæ, & Patrum, quæ absque alicuius inuidia rectè poterunt explicari de celo stellato, quod firmamentum specialiter dici solet, si prædictis testimoniis vera soliditas, quæ fluxibilitati opponitur, & non tantum corporum perseverantia, eiusque proprietatum firmitas, & constantia significetur. Demum potissimum fundamentum esse potuit: facilius omnibus posse defendi, dat enim Phænomenis, & Astronomorum rationibus id, quod immediatè possunt extorquere, videlicet celos Planetarum fluidos esse, & authoritati referuat soliditatem cæli stellati, de quo & empyreo simul poterunt explicari omnia testimonia, quibus soliditas cælorum firmamentive intendatur euinci.

25 Explicatis iam fundamentis omnium sententiarum, adhibitisque solutionibus, quibus argumentorum vis declinari poterit faciliè cuique erit, quam maluerit eligere. Si verò meus aperiendus est animus multum feror in sententiam, quæ stellatos celos liquidos esse defendit, vix enim astronomice observationes aliter possunt componi, & non sine multis Epicyclis, quibus soliditas cæli intersecetur. Demum quia si horum ope cælorum soliditatem velimus defendere, tenebimur recedere à communi sententia, quæ septem Planetis septem distinctos designat orbes, & in orbe Solis collocare Mercurium, Venerem, & Martem, quia liberum est his Planetis spatium Solis percurrere, & modò supra Solem, & modò infra eundem apparere. Quæ sententia omni authoritate destituta est, qui enim celos multiplicat, cuiusque ex septem Planetis distinctum cælum designant. Tutius ergo est Planetarum cælum fluidum esse cum communi sententia, hisque temporibus valde plausibili defendere, quam soliditate cæli propugnata in singularem illam prolabi, quæ Lunæ, Ioui, & Saturno tres celos adscribit, aliudque Soli impertitur, quod Mercurium, Venerem, & Martem distinctis Epicyclis insidentes recipiat. Stellarum inerrantium cælum fluidum etiam poterit constitui, licet enim non adeo Phænomena extorqueant, nonnulla id suadent, cū etiam in eodem celo stellæ aliæ nouæ ad tēpus apparuerint. Neque testimonia Scripturæ aut Patrum oppositum suadent, de de his enim quæ ad scripturam pertinent ostendi ex mente nobilium sacri textus interpretum, non agere de cælorum soliditate, de qua præsens instituitur disputatio, sed de perseverantia, constantia, & firmitate cælorum, in quo sensu sunt etiam explicanda Patrum testimonia, si aliqua sunt, quæ contra hanc sententiam pugnare videantur, adducendæque sunt alia quàm plura, quæ eam efficacius propugnant.

PUNCTUM IV.

De cælorum numero, & motu.

1 Ari vnum supremum cælum, quod Empyreum ob illius nimiam claritatem appellatur, quod Beatorum gloria est quasi Theatrum, & Beatorum curia, concors defendit Patrum, ac Theologorum cœtus: ita

tenent Basilii, Damasceni, D. Clemens, Theodoretus, Hilarius, Diodorus, Athanasius, Chrysostomus, & Theophylactus, Magister sentent. D. Thomas Menf. Magnus Albertus, Guilielmus, Agidius, & alij quos referunt Conimbricenses lib. 2. de celo, cap. 5. quæst. 1. Ab his omnibus sponte sua discessit Caietanus negans dari hoc cælum ad illa Pauli verba 2. ad Corinth. Raptum tantum modò hominem usque ad tertium cælum. Cælum istud esse omnium perfectissimum suadet ex supremo loco quem obtinet, ex nimia claritate, qua pollet, ex fine in quem destinatur, videlicet ut sit proprium Christi domicilium, beatorum receptaculum, Theatrum, quo gloria Dei beatis omnibus præsentetur, & diuina essentia clarè visa frui liceat. Huiusmodi cælum immobile esse testantur omnes, est enim maxima perfectio motu absoluti, sapientie beatorum statui, qui ex sua conditione ab omni mutatione liber est, & æternus. Rogabis si cælum Empyreum tam eximia luce præditum est, cur à nobis non videatur. Omnis variæ solutionibus, quas adducit Ricardus in 2. distinct. 2. quæst. 2. tertio principio, respondeo cælum interius esse eximia luce perfusum, ex parte verò exteriori, & inferiori, quæ tetram respicit, non lucere, neque ad nos lucem iaculari, quod ex ea non sit diaphanum, sed opacum, quasi velo amictum quemadmodum in fabrica tabernaculi tertia pars, quæ Sancta Sanctorum dicebatur velo quoddam occultabatur, ne inspiceretur, ut exponit D. Thom. 1. 2. quæst. 12. art. 4. Cælum hoc Ethnicis Philosophis ignotum fuit, neque de illo ratione naturali à priori, aut à posteriori potest aliquid demonstrari, quid verò de reliquis cælis senserit antiquitas, & quid conuinat ratio tractabo paucis.

Sensere nonnulli ex antiquis apud Conimbricenses supra articulo 1. vnam tantum esse sphaeram celestem, in qua stellæ fixæ eandem semper retinent positionem: planetæ verò alij aliis altiores ex vna parte ad aliam instar piscium in mari transmearent. Subscribant hodie huic sententiæ omnes, qui cælum fluidum esse propugnant. Pater Hurtadus disputatione 2. sectione 1. eidem adheret, etiam si solidos esse defendat. Alij tres globos constituerunt, stellarum, Solis, & Lunæ. Quidam verò octo statuiebant, stellarum vnum, quod Aplanes, & firmamentum dicit solet, & septem alios quibus totidem insiderent Planetæ: primo Luna, secundo Mercurius, tertio Venus, quarto Sol, quinto Mars, sexto Iupiter, septimo Saturnus. Sententiam hanc tenere omnes Ægyptij, & Chaldaei, ut videre est apud Conimbricenses supra. Statutus autem est hic octonarius numerus propter distinctos motus, qui in Planetis, & in stellis fixis cernuntur. Mouentur enim Planetæ nullo inter se, neque cum stellis ordine seruat, modò enim Planetæ inter se congregiuntur, & viciniore sunt, modò dissociantur, & sunt valde distantes, modò sub hac firmamenti constellatione, modò sub illa nobis apparent.

Ex quo antiqui intulere distinctis motibus distinctos exerceri Planetas, & distinctis orbibus vehi, & propter eandem rationem distinctum orbem esse assignandum stellis inerrantibus, siquidem nulli Planetæ sunt affixæ, neque in aliqua distantia semper eadem illi correspondent, & inter se semper eandem positionis proportionem obseruant.

Stabilito iam octonario orbium celestium numero temporum progressu obseruasse Astronomos fertur cælum stellarum ab Occidente in Orientem motu reuerti, toto motu ab Oriente in Occidentem, quare cum duo motus non possint eidem corpori per se competere, aliud inuentum est cælum superius celo stellato, quod proprio motu celos omnes raperet, cui adscriberetur alter motus, ille videlicet, quo ab Oriente in Occidentem celestia corpora progrediuntur. Post superiores Astronomos, quibus innotuit duplex cælorum motus, accessere alij in quibus Alphonsus Hispaniarum Rex, qui tertium alium motum in firmamento animaduertit, quem trepidationis motum, siue accessus, & recessus appellant, quia ex vi illius iam ad hunc polum, iam ad illud corpora celestia deflectunt. Cū verò duplex motus non posset eidem corpori attribui, neque eidem mobili conuenire, necessum fuit aliud cælum institueri, cuius proprius esset hic trepidationis motus, quo raperet reliquos inferiores orbes, & primum mobile diceretur.

diceretur. Sic denarium numerum inulere astronomi ex diuersis motibus, cui addendum est calum Empyreum quod erit vndecimum, & ita vndecim cæli distincti necessarii erunt enumerandi.

PRIMA CONCLUSIO: Etiam si cælum stellarum inerrantium duplici aut triplici ageretur motu, necessum non esset superiores alios cælos designari a quibus secundus, & tertius motus procederet. Ratio est facilis, motus isti, qui finguntur procedere à cælis superioribus possent procedere ab Intelligentia cælos mouente, quæ distinctis impulsibus posset distinctis motibus agere corpora cælestia: ergo non sunt necessariae sphaeræ illæ, quæ supra stellarum cælum finguntur, vt moueant stellarum cælum alioque inferiores. Probatur antecedens: tota ratio propter quam sphaeræ illæ ponuntur, est ne moueatur per se idem corpus multiplici motu. Sed si huiusmodi motus procederent ab Intelligentia mediis distinctis impulsibus corpus cæleste non moueretur per se multiplici motu, sed ab extrinseco ratione intelligentiæ, seu multiplicitate impulsus, quem pariebatur: ergo ex nullo capite necessarij sunt alij cælestes orbes supra stellarum cælum vt moueantur cæli Planetarum, & stellarum cælum multiplici motu. Quod si dixeris vnam eandemque intelligentiam non posse mouere multiplici motu sphaeræ cælestes adhuc medio multiplici impulsu, quod falsum est, si ab extrinseco, seu per accidens corpus potest multiplici motu simul agi, multiplica intelligentias, quibus cæli moueantur, vel dicito immediate à Deo moueri, & ne multiplices cælestes orbes, cur enim distinctis intelligentiis aut vni Deo non attribuis calorum motus, quos vis adscribere orbibus cælestibus, quos ad hoc totum munus existere confingis?

SECUNDA CONCLUSIO: Etiam si daretur primum mobile, aliudve quodcumque cælum supra stellarum cælum, inutile esset ad mouendos orbes inferiores, quos intra se contineret, neque primum mobile potest inferiores orbes proprio motu rapere. Ratio est facilis: si daretur primum mobile semper moueretur per distinctum spatium ab illo per quod mouentur orbes cælestes inferiores illo: ergo nunquam intenderet occupare spatium sphaeræ immediate, aut aliarum inferiorum: ergo non impelleret sphaeram inferiorem immediatam, neque mediatas alias. Antecedens est omnino certum, si enim distincti orbes cælestes per idem cicerentur spatium, vel penetrarentur inter se, vel vnum è proprio loco pelleret alium, quod in corporibus cælestibus nunquam contingit. Consequentiam proba: Tunc tantum corpus se mouens proprio motu aliud contiguum corpus mouet, cum intendit occupare illius spatium, ad hoc enim illud mouet, vt in illius spatium succedat, quia idemmet spatium vtrumque non capit, neque in illo penetrari possunt. Id etiam experientia suadet, cum enim infra Solem versus Orientem corpus aliquod mouetur, quantumvis rapidissimo feratur impulsu, non intendit versus illam partem terram mouere, neque illi impulsu imprimi, vt simul cum illo versus Orientem moueatur, sed tantum ex vi illius aërem remouet occupantem spatium, quod intendit percurrere. Sed cælum superius proprio motu non intendit occupare spatium inferioris: ergo proprio motu non rapit cælum inferius, æquè enim impertinens est motus inferioris sphaeræ vt superior moueatur, ac motus superioris vt moueatur inferior, neque maior est ratio, vt superior proprio motu trahat inferiorem, quam vt inferior secum ferat superiorem, cum neutra cum altera circa idem contendat spatium, sed vtraque omnino independentem à motu & quiete alterius poterit quiescere & moueri.

TERCIA CONCLUSIO: Nullum corpus cæleste potest moueri duplici motu; hanc defendit omnis bona Philosophia, iuxta quam corpus existere non potest in duplici loco: ergo neque moueri duplici motu. Patet consequentia; motus est causalitas, seu actio, ex vi cuius existit vbicatio, ad quam terminatur: ergo si datur duplex motus, debet dari duplex terminus, scilicet duplex vbicatio efficiens idem mobile: ergo idem mobile, seu idem corpus habebit duplicem vbicationem, quod est constitui in duplici loco. Respondebis, non posse idem corpus per se habere duplicem vbicationem, neque per se moueri duplici motu, posse tamen moueri per

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

se vno motu, & per accidens simul alio. Contra: eo ipso quod mobile habeat duplicem motum, quorum quilibet essentiam motus retinet, datur in eodem mobili duplex præsentia, quarum quilibet propriè essentiam præsentia, seu vbicationis participat, siue per se corpori conueniat, siue per accidens, hoc est, accidentaliter mobili contingit: ergo erit in duplici loco, & propriè quilibet præsentabitur, quod naturaliter repugnat, non enim ego dum Compluti exito in sensu composito potero aliquo modo, quem tu per accidens vocas, simul præsentari Romæ: quod experientia ipsa demonstrat & per se notum est, alàs posset quis prudenter dubitare, dum me Romæ videret, an Compluti etiam in eadem mensura existerem, Romæ per accidens, & Compluti per se.

Nec satisfaciunt Conimbricenses, qui afferunt posse corpus à duplici principio, etsi non ab eodem duplici cieri motu, id enim experientia, & ratio contradicit. Experientia, quia cum duplex viuens intendit mouere tertium aliud corpus, vnum versus Orientem, & aliud versus Occidentem, tale corpus non simul versus Orientem, & versus Occidentem fertur duplici motu, sed si agentia sint æqualis virtutis immobile perfeuerat, si autem alterum fortius sit, ab illo trahitur, & non ab alio minus forti. Idem euincit Ratio, quia duplex præsentia siue ab vno agenti producta, siue à duplici, eandem inter se oppositionem habent: ergo si repugnant in eodem subiecto ab eodem principio productæ, eandem habebunt repugnantiam, etsi à duplici producantur, repugnantia enim, seu impossibilitas non conuenit præsentis ratione principiorum, sed immediate per suasmet entitates. Demum si idem corpus à duplici principio duplici simul posset agi motu, posset ab hoc trahi versus Orientem, & ab illo versus Occidentem, quod manifestè repugnat.

Totum fundamentum, quo eidem cælo duplicem motum Astronomi assignant, est diuersæ stellarum positiones, quia modò habent altitudinem diuersam, ab illa, quam antiqui Astronomi notarunt, neque modò occurrunt respondentes eidem spatio, cui antea respondebant. Ex quo inferunt, stellas præter motum diurnum habere alium, quia si illo tantum gauderent semper per eundem circum cicerentur, eademque esset positio, & altitudo hodierna, & crastina stellarum. Vrgent in planetis, in Sole, verbi gratia, qui diuersam hodie distantiam habet ab stellis fixis, à distantia quas habuit heri, & habebit cras: ergo præter motum, quem habet communem cum stellis, habet alium proprium, & erraticum. Respondeo diuersas altitudines stellarum errantium oriri ex diuersis motibus, quibus successiuè aguntur, quia non per eundem circum imaginariū semper mouentur, sed intelligentiæ industria impelli, quasi in latus versus Zodiaci polos, ita vt circulus imaginariū, quem hodie stellæ percurrunt distinctus sit à circulo imaginatio quàm heri pertransiere, magis inclinans ad polos Zodiaci, & declinans à cæli polis, hac ratione, & si singulis diebus proprio motu singulos circulos peragant stellæ multa millia annorum peraguntur, donec redeant ad circum, quem hodie peregere, & hoc fuit in causa, vt viderentur moueri duplici motu, quorum vnus diceretur diurnus, quia vno die ex vi illius circulus conscitur, & alteri multi adscriberentur anni, quia vt supra dixi, multa millia transeunt, donec per hanc circulorum declinationem, seu inflexionem ad Zodiaci polos redeant stellæ ad eandem altitudinem, quam antea habuerunt. Planetæ verò non circum efficiunt perfectum, sed eo modo spatium cæli circumeunt, quo angulis propriis circulis corpus circundat, nunquam enim idem circulus rediit ab eodem puncto, à quo est egressus, sed declinat ad aliud laterale, ratione cuius apparet quasi duplex motus, quidam ex vi cuius efficitur circulus, & hic dicitur diurnus, & alius ex vi cuius declinat mobile, dum circum perficit ab illo puncto à quo egressum est, & hic in planetis dicitur annuus, etsi re vera vnicius tantum sit.

QUARTA CONCLUSIO: Si cæli solidi sunt necessum est distingui quinque cælos, primum Lunæ, secundum Solis, tertium Iouis, quartum Saturni, quintum stellarum inerrantium. Ratio est quia si cæli solidi sunt, quilibet planeta secum feret cælum, cui est affixum, cum ergo planetæ diuersis motibus agantur, & diuersa percurrant spatia,

K k 2 necessum

necessum est cælum vnus planetæ diuisum esse ab aliorum cælis ne inuicem planetæ rapiantur, & ne quilibet intendat, secum ferre reliquos alios: idem dico de stellarum cælo respectu cælorum planetarum. Mercurio, Veneri, & Marti proprios cælos non esse designandos, sed distinctis epiciclis affixos in cælo Solis esse constituendos, quia modò supra Solem, modò infrà illum apparent, probaui Punct. 3. num. 20.

II Contra hanc conclusionem insurgit Hurtadus, qui assertit vnico cælo solido constituto semper immoto posse planetas liberè vagari sursum, & deorsum, suòque circulos peragere per canales, seu cavitates quasdam, quæ ad hos motus in cælis sunt deputatæ. Solet vulgò impugnari hic dicendi modus ex eo, quod daretur vacuum in cælis, quod vbique abhorret natura. Respondet Hurtadus: cavitates illas vacuum non efficere, quia, etsi repletæ non sint repleti non sunt aptæ, dicitur autem vacuum, locus non repletus corpore, aptus tamen repleti. Non contendo de nomine cum Hurtado, certum enim est cavitates illas potuisse à Deo repleti corpore cælesti, sicuti repletur reliquum spatium, cui correspondent reliquæ partes cæli, & de facto quælibet pars illarum repletur dum successiue illas currit planeta. Facilius esset dicere vacuum intra cælos non repugnare, quod etsi non probem, difficile ab aliquo impugnatum iri existimo. Cavitates has fortius reicio, quia si darentur totum ferè cælum esset excauatum, cum enim Sol non semper per idem spatium circumeat, sed à linea æquinoctiali ad vtrumque Solstitium Vernali, & Autumnale declinet, tota intercapedo vtriusque Solstitij deberet esse excauata. Similiter cum Mercurius, & Venus supra Solem ascendant, & descendant, deberet esse excauatum versus partem superiorem horum planetarum spatium his moribus accommodatum. A posteriori insuper hæc cavitates impugnantur, quia si darentur, sæpe non possemus videre planetas superiores, neque stellas inerrantes, quia spatium illud per quod ab his obiectis ad nostram potentiam species debebant mitti vacuum esset, & ita medio illo non possent ad nos species peruenire.

II QUINTA CONCLUSIO: Si cæli liquidi sint, vnum tantum cælum stellarum errantium, & inerrantium est admittendum, in cuius parte superiori stellæ inerrantes sint affixæ, & in reliquis alij erronei liberè vagantur, omnesque moueantur sicuti pisces in aqua, & aues in aère. Dari vnicum tantum stellarum cælum multi probare existimant ex illo Pauli 2. ad Corinth. 12. *Scio hominem raptum vsque ad tertium cælum*, hoc est, vsque ad Empyreum, quod tertium dicitur, quia sub se habet vnicum stellarum orbem, qui secundum dicitur cælum, & regionem aëris, quæ primum cælum appellatur. Suffragatur autoritas Chry-

ostomi in illud Psalm. 148. *Laudate eum cæli colorum*, & homilia 4. in Genesim, ubi ait eos, qui multos esse cælos dicere audent diuinarum litterarum auctoritati repugnare, cum Moyses vnum tantum cælum esse dixerit: *incipit creatur Deus cælum & terram*: Accedit Theodoretus 4. in Genesim, ubi duos tantum cælos esse affirmat. Præterea Damascenus 2. lib. fidei orthodoxæ, duos alios agnoscit excepto aère, stellatum videlicet, & Empyreum. Denique D. Ambrosius cap. 2. lib. 2. exameron, non modò secundum, sed etiam tertium esse negare esse non posse ait, qui cum plures alios non admittat potest intelligi de cælo aëreo, stellato, & Empyreum. Ceterum his Patrum testimoniis parum hæc sententia fulcitur, quia nomen cælum sæpe sumitur pro globo in quo stellæ continentur, siue in hoc includantur plures cæli, siue vnicum tantum, & ita dum Patres aiunt tres esse cælos aëreum, stellatum, & Empyreum non definiunt an stellatum plures in se contineat, quod notauit D. Thomas 1. parte, quæst. 68. art. 4. ubi conatur Patrum dicta circa numerum cælorum ad concordiam reducere, aiens eos non tam rebus quàm verbis dissentiri. Ita vt, qui vnum esse cælum inquit, intelligant totum corpus, quod supra aquam, & aërem est: qui verò plures esse dicunt, ex eodem illo corpore plures, vel pauciores partes diuersa acceptione distinguant. Hac ratione est cælum continens omnes planetas, & stellas vnicum sit, & vnicum, potest dici plures cæli, quia pars cæli, per quam vagatur Luna, potest cælum Lunæ appellari, & pars alia, per quam vagatur Sol potest dici cælum Solis, & sic de alijs partibus, per quas mouentur planetæ, quibus proprij designantur cæli, & de parte illa per quam mouetur stellarum cælum vocetur ab Apostolo. Aliæ plures explanationes circa hoc testimoniū videri possunt apud D. Thomam 2. 2. quæst. 175. art. 3. & 4. quas breuitatis causa omitto. Alij numerum ternarium pro multis sumunt, cum sæpe pro omnibus vsurpetur in Scriptura. Amos 1. *Super tribus sceleribus Damasci*, id est, omnibus. Et 2. ad Corinth. 12. *Ter Dominum rogauit*, hoc est, sæpius.

Probanda est ergo præcedens conclusio ex eo, quod si cæli fluidi sint, necessum non sit plures cælos distinguere, cum vno tantum existente, & hoc immoto rectè componantur omnes motus planetarum, & stellarum inerrantium, potest enim quodlibet alium liberè totum spatium cæli percurrere, sicuti potest piscis in flumine totum aquarum spatium sursum, & deorsum semel, & iterum pertransire.

